Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 339
Quelle:
Copyright:



maximo ſane ſumtu adornatum; ut enim delineatoris ars infra commendationem ſit, auri tamen impenſa vis, et colorum vigor in admirationem rapiat, oportet. Totum folium *primum* averſum Creator occupat crure circini uno in terrae centro defixo altero univerſam creationem obiens. In ora ſupera folii litera quadrata caeruleo rubroque alternante legitur: *Ici. Crie. Dex.* (ita ſemper pro *Dieu*) *Ciel. Et. Terre. Soleil. Et. Lune. Et. Toz. Elemenz.* Stratum ſive fundus totus hujus Picturae auro levigato lucet, id, quod de omnibus etiam reliquis Picturis velim intelligi. Harum porro ſequens eſt ratio. Pagina quaevis bina ſerie Icones majores orbiculatas octo exhibet ita, ut in quaque ſerie quatuor ſint ad perpendiculum; intervalla autem quindecim minoribus quadratis Angelorum περοτομας referentibus impleantur. Utrinque, ut dixi, anguſta columna Textus ab elegante manu ſcriptus intercipitur, totumque a margine deaurato, picturatoque cingitur. Icones igitur trium millium numerum excedunt. Verum quid jam iis deſignatur? Prior ſemper Factum aliquod hiſtoricum e Vet. Teſtamento, nullo adeo ſervato Librorum ordine, repraeſentat, ſubſequens Factum iſtud ad aliquam allegoriam trahit. Adſcribam Textus priorum IV. Iconum: 1) *Ici depart Dex le ior de la nujt.* 2) *La clartei del ior ſenefie la clartei des angles et de ſainte egliſe.* 3) *Ici depart dex la terre de la mer. et garniſt la terre darbres et doiſeax. et la mer de poiſſons de gros et de meninz.* 4) *La terre ſenefie ſainte egliſe. li oiſel ſenefient les diuerſes genz del monde qui acrochent ſainte egliſe. li gros poiſſon ſenefie les gros uſuriers qui mainiuent* (mangent?) *les petiz ce ſunt la pouure gent.* Multa per decurſum piae ſimplicitatis offerri ſpecimina, nemo dubitabit. Ita Biga Iconum a fine *octava* Levitam e *Judic.* C. 20. uxoris membra per XII. Tribus diſpertientem proponit cum addito: *Ici uient li Dyakenes* (Diaconus pro Levita) *et fet de ſa fame XII. parties. et les enuoe per XII. meſſages as XII. lignies.* Dein proponit Senes duos, qui libros diſtribuunt, et ita allegoriam explicat: *Ce que li Dyakenes depieca ſa fame en XII. parties et les enuoa par XII. meſſages a XII. lignies. ce ſenefie iereume et auguſtin. qui baillerent a XII. patriarches les XII. uolumes por porter les as XII. Apoſtles.* In hoc Idiomate vetuſto, unde non pauca γλωσσηματα enotari poſſent, hodiernum *gallicum* et *hiſpanicum*, velut in cunis, videmus; orbiculata vero Paginarum diſpoſitio facile admonet Feneſtrarum ἐγκαυσως pictarum, quibus vel hodie Templa quaedam ornata ſunt, aliis in Curioſorum Muſea receptis. Quod ſi Codex ad exemplar ejusmodi Vitrorum accommodatus fuerit, multo antiquiorem illam Artem eſſe oportet, quam quidem Scriptores adſerunt. Secus dicam, ideam Feneſtrarum illarum a Codicibus deſum-